DE PIO
ET
FERDINANDO,

UTROQUE SEPTIMO,

NAPOLEONIS A TIRANNIDE LIBERATIS,

ORATIO,

IN REGIA OMNIUM SCIENTIARUM ACADEMIA HISPALENSI HABITA

AB

EMMANUELE MARÍA AB ARCE

DOCTORE THEOLOGO,

ET ISIDORIANO EJUSDEM URBIS COLLEGIO PRAEFECTO,

TERTIO KALENDAS AUGUSTI

ANNO MDCCCXIV.



HISPALI:

APUD EMMANUELEM DE VALVIDARES

Academiae sumptibus.

Melius enim judicavit (Deus) *de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* (S. Augustinus Enchiri. cap. 27.)

I. Quamquam nihil certe homini magis optandum, Rector Amplissime, Praestantissime Praesul, Doctores Sapientissimi, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna, jucundo vitae sine ulla offensione decursu, tamen, si tranquilla et placata omnia fuissent, incredibili quadam, et pene divina qua nunc Dei Optimi Maximi beneficio fruimur, laetitiae voluptate caruissemus. Quemadmodum enim bona valetudo gratior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegritudine laborarunt, sic ea omnia, desiderata magis quam assidue percepta, delectant nobis. Suo cujusque integra utendi potestas, quid haberet voluptatis, carendo magis intelleximus, quam fruendo. Religio sancta, mores institutaque majorum, quamquam mihi semper clarissima visa sunt, tamen ea nunc renova-

ta clariora videntur, quam si obscurata non essent.

II. Multa praeterea utilia ex malis, quae sumus perpessi, consequta sunt. Eversis enim honesti et justi legibus, quod quisque fuerit intus, id in luce, et in oculis omnium manifestum apparuit: omnium censa, opiniones, singulorumque doctrinae patefactae, cum nullum esset tribunal, quod de his sedulo invigilaret: mores insuper cogniti sunt cujusquam, cum effrenata luxuria, irreligio, ambitio, ebrietas, alearum lusus, et caetera hujusmodi imperantium fulcirentur obsequio: quos viros optimos habuimus aliquando, eos tunc licentiae praecones et propagatores, et in honestatem declamatores audimus. Refformationis causa nihil fuit, quod non aggrederetur hominum nequissimorum malitia: omnia sunt a fundamentis eversa.

III. Sed quorsum haec disputo, Auditores? Ut intelligere possitis, neminem unquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili genere dicendi, qui

et labores, quos toleravimus, enarrare, et bona, quae speramus, non modo exornare oratione, sed nec enumerare unquam possit. Quoniam vero nostri officii est, vobis obtemperare, qui me vestra humanitate vultis, ob Pii et Ferdinandi reditum vobis congratulantem audire; primum mihi videtur de omnium malorum genere, quae ex eorum captivitate acciderunt; de bonis deinde, quae eorumdem libertate experimur, quaeque sperare possumus et debemus, esse dicendum.

IV. Ut autem inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis res ducitur, Napoleo, natione Corsicus, obscuris ortus majoribus, natura petulans, ingenio acutus, victoriis insolens, sine ulla prorsus religione, quinque et triginta annos natus totius fere Europae imperio potitur decimo quinto Calendas Junii anno, ab orbe redempto, millessimo octingentessimo quarto, quo in generalibus Gallorum comitiis Imperator est renunciatus. Hinc per universam Europam querelae, hinc gemitus luctusque bonorum.

Qui Reipublicae bene gerendae periti erant, multa et gravia orbi terrarum incommoda portendi intellexerunt. Quos sibi Napoleo, data dextra, intima devixerat amicitia, eos, ut imperii sui altius fundamenta jaceret, quovis dolo capere, et in suam potestatem redigere coepit. In quibus, aliis praetermissis, Pius et Ferdinandus, uterque septimus, praesertim numerati sunt.

V. Sed ut Pii in profectione consilium perspicere possitis, Auditores, paulo longius exordium rei demonstrandae repetendum puto. Primus Reipublicae Consul Napoleo creatus, per legatos quamprimum certiorem fecit Pontificem, se esse paratum optime de religione mereri. Quo nuncio magnopere delectatus Pius, Consalvum legatum *a latere* Roma proficisci jubet; qui Parisiorum urbem ingressus, magna fuit bonorum omnium exultatione, ac singulari solatio receptus. Praeclara tunc Napoleonis oratio de religione ad eum: pax denique religiosa inter ipsos confirmata est: quae omnia legi possunt gallice et latine edita

Parisiis anno millessimo octingentessimo secundo.

VI. Templa deinde antiquis profanationibus expiata, aperta sunt; et omnia in pristinum statum restitui coepta. Lux quaedam post tot Gallorum seditiones videbatur oblata non Galliae modo, sed toti etiam Europae, omni prorsus belli timore sublato. Omnes enim gentes atque nationes, quae Europam incolunt, praeter Britannos, et Gallorum Rempublicam, et Napoleonem primum Reipublicae Consulem agnovere. Britanni enim, licet icto foedere cum Gallis in gratiam redierant, paulo post novum eis bellum indixerunt.

VII. Dum haec geruntur, ut maximum Napoleo pignus Ecclesiae daret, se catholicam velle religionem colere, Summo Parenti patefecit; se Caroli Magni exemplum sequutum imperii diadema ab ipso recipere velle, quo facilius posset et suis populis religionis exempla praebere, et ejusdem causam validius deffendere. Magnis Pium subdolisque pollicitationibus ex Italia

evocat, ut coronationis ejus, quae postridie Calendas Decembris ejusdem anni millesimi octingentessimi quarti Lutetiae Parisiorum peracta est, non testis modo, sed et consecrator etiam existeret. Quot de religione omnino in Galliis restauranda, de Episcopis omnibus ab exilio revocandis, de bonis Ecclesiae restituendis, de haeresi extirpanda penitusque tollenda, de sacrarum aedium generali reaedificatione rursus Pontifici promissiones datae! Legatur hac de re, quae ejusdem Pii extat oratio, cum itineri se accingeret, ad Sanctae Romanae Ecclesiae Purpuratos habita.

VIII. Pius tandem morem ei esse gerendum putavit, aliorum Pontificum vestigiis insistens, ut ipse testatur. Prudens autem profectionis consilium quis non videt? Purae religionis in Galliis reparatio, errorum omnium, qui quaquaversus disseminati essent, extinctio, fidelium in fide confirmatio, et alia ejusdem generis. His principiis reliqua consentiebant.

IX. Non est hic praetereunda sacrile-

gis Pii calumniatoribus responsio. Fuit enim semper in more positum, divinaque institutione firmatum, ut, qui Petri cathedram tenerent, nullis laboribus, nullisque incommodis parcerent, ut universo Christi gregi sedulo invigilantes providerent, suoque Pastoris Universalis officio facerent satis. Galliarum vero regnum et religione olim, et litteris semper florentissimum Philosophastrorum opera per quindecim annorum spatium a religione pene totum defecerat. Pius itaque et multa praeterita mala redire timens, plura quoque bona eventura credens, in Galliam proficisci sciens, prudensque decrevit.

X. Summis eum honoribus Napoleo Parisiis excepit, quos paulo post impie ac perfide non modo denegare, sed etiam auferre molliebatur, nisi sceleratis ejus consiliis obtemperasset.

XI. Sed, o rerum humanarum vicissitudinem! O bifrontis hominis cruentam malitiam! Quem specie triumphi paulo ante receperat, eumdem postmodum, consiliis

suis obsistentem, ad ultimas Italiae oras perfidus relegavit; atque ea omnia, quae ei tota retro antiquitate jure optimo pertinebant, Ioaquimo Muratio, affini suo, praedo sacrilegus tradidit; vita etiam multare paratus, nisi ut de eo simul cum religione christiana triumphum ageret, reservasset. Sed de Pio Septimo satis mihi multa verba fecisse videor, reliqua persequamur.

XII. Principio itaque de rebus hispanis verba facturus, Ferdinandum Septimum, Augustum, Pium, Felicem, jure esse ac merito Hispanorum Indorumque Regem, res est sole ipso illustrior et clarior. Eum enim decimo quarto Calendas Aprilis anno, a Virginis partu, millessimo octingentessimo octavo post Caroli Quarti abdicationem regni provinciaeque omnes, Napoleone inscio, Regem agnoverunt.

XIII. Eisdem fere temporibus cum exercitus permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, Napoleo comparasset; et se Britannis, oris nostris maritimis insidiantibus, bellum inferre simulasset, omnium

earum est urbium munitarum potitus, qua Hispania ad Galliam vergit, praesidioque perpetuo ibi posito, velut in obsidione Hispaniam tenere putavit: Regum deinde Lusitanorum fuga occasionem ad occupandam Lusitaniam oblatam sibi arbitratus, ut ejus verbis Duces Gallorum memoriae prodiderunt: quo factum est, ut Hispaniam nostram, undique cinctam periculis, sine copiis, sine exercitu, castellis etiam praecipuis et munitissimis occupatis, deffendi non posse arbitraretur. Unde cognitum etiam est, innocentes laedendi causis fictis occasionem sceleratis nunquam deffuisse.

XIV. Tyrannus vero per suos exploratores certior factus, Ferdinandum Hispaniae regnum accepisse, de suis, quem habuit fidelissimum, ad Regem missit, ut ei nunciaret suis verbis, se Mantuam Carpetanorum celeriter adventurum, ut ibi de rebus agendis amicissime consuleretur. Ferdinandus itaque insidiarum, quae ei parabantur, inscius, Burgis primum, Victoriae deinde occurrendum putavit. Hoc in oppido

litteras a Napoleone accepit, in quibus is, simulatam renovans amicitiam, e patrio regno atque avito perfidis subdolisque verbis illum educere tentavit: Aquis tandem Augustis excepit. Quae omnia eo valebant, ut invitus ad regni abdicationem cogeretur.

XV. Utinam, Auditores, iis ego indignationis verbis hoc in tempore uti possem, ut in hominum sceleratissimum, inauditum facinus perpetrantem, odium sempiternum gravemque vestram offensionem concitarem. Multa praetereo consulto, sed ea vos, cum ex libellis in lucem editis, tum ex conjectura perspicitis, quanta a Parentibus, quanta ab exteris, quanta a suis etiam Ferdinandus noster pertulerit. Summa cum dignitate et constantia ad ea, quae erant quaesita, coram respondebat; ei tamen Napoleo, summis contumeliis affecto, mortem minitatur, nisi regno se abdicaret.

XVI. Quod tunc quisque prudentissimus, reique publicae bene gerendae peritissimus vir effecisset, id Ferdinandus noster effecit, tritum in mente habens illud sermo-

ne proverbium: *minima de malis.* Duas regnorum omnium abdicationes in Parentem fecit, primam Calendis Maji, alteram vero pridie Nonas ejusdem mensis, utraque autem conditionem ferebat, quarum postrema ita se habet: "si omnia ad eum, quo ipse Arae Jovis Hispanorum Rex fuerat renunciatus, statum restituerentur." Filius ergo in Patrem, Pater in Napoleonem, iste vero in fratrem regna cesserunt; quo abdicationum ludo factum est, ut Josephus Napoleo non re, sed nomine fuerit Hispanorum Rex introductus, cum re vera Ferdinandus vinctus superatusque regnaret. Cum enim vi, ferro, metu, minis obsessi teneremur, Ferdinandus imperabat. Hujus rei veritatis testes appello, quotquot hoc in regno, hac in provincia, hac in urbe omnium nobilissima, Gallicae dominationis tempore vitam duximus. Ille in ore, ille in mente, ille in cordibus omnium nostrum semper vixit, quem Ferdinandullum amoris ergo ac benevolentiae saepe appellabant.

XVII. Hinc malorum omnium ini-

tium, quae his temporibus Hispaniae nostrae acciderunt. Napoleo enim flumine sanguinis reditum Regis intercludendum putavit.

XVIII. Sinite hoc loco, Auditores, me Hispanam fidem, virtutem, Hispanorumque laudare constantiam. Cum enim omnes Europae Gentes atque nationes, quae continentem terram incolunt, Tyranno succubuissent, et sese suaque omnia ei dedissent, Hispani, sibimetipsis derelicti, sine gubernatore, sine copiis, sine exercitu, post divinam opem suis solum viribus fidentes, omnes uno fere tempore arma sumpserunt, eaque nunquam deponere constituerunt, nisi Rege suo restituto, quod et praestiterunt, bellumque sua sponte Gallis indixerunt, cum Britannis in gratiam redeuntes. Sed illuc, unde digressi sumus, revertamur.

XIX. Hoc in tempore regni optimatibus summa imperii tradita est: qui cum illud deffendere non possent, in urbem maritimam, quam Gades appellant, se omnes receperunt, suisque rebus consuluerunt.

Unde omnes ferme Hispanae provinciae in hostium venerunt potestatem. Quot inde mala evenerint, potius concipi, quam enarrari profecto potest. Templa Dei Optimi Maximi brutis animantibus domicilio fuisse, altaria vero praesepium loca tenuisse, non audivimus modo, sed vidimus etiam et exhorruimus. Virgines et Sacerdotes undique exagitatos vidimus, et ultimo supplicio affectos, qui aut causam Hispaniae deffenderent, aut eorum consiliis non obtemperassent. Testis est Hispalis, quae viros omni laude dignissimos exules luxit. Testis est Corduba, quae Sacerdotem, horae unius intervallo dato, quod mulierculam a religione transfugam objurgasset, morte puniri exhorruit. Testis est Ilipa, cujus in agro duodecim agricolae sine armis, praecidendis messibus intenti, uno ictu omnes ad unum interierunt. Testis iterum et saepius Hispalis, quae ipsomet Sancti Isidori festo, sub Duce Mortiere, legibus codicis, quem Napoleonis vocant, Sacerdotem occisum vidit. Testes sunt, quotquot ex vectigalium im-

moderata exactione in necessariam paupertatem venerunt.

XX. Antiquis regni legibus abrogatis, permixta sunt omnia, cum civilia et criminalia, tunc politica et religiosa. Triumpharunt de bonis et pacatis civibus quicumque a religione, quicumque a suo Rege deffecerant. Triumphavit de Hispalensis Ecclesiae senatu Baeticae Provinciae Praefectus: is enim, omnis religionis expers illum vi, ferro, metu, minis nequissimos homines in Ecclesiam admittere coegit.

XXI. Signorum tabularumque latrocinium Tyranni legibus sanciebatur. Quidquid natura vel ars optimum agnoscebat, id Lutetiam Parisiorum asportabatur, vel asportari dicebatur. Diripiendi artis periti, quibus sua omnia abripiebant, eos felices vocabant, Philosophastris et irreligiosis hominibus in auxilium vocatis. Æqualitatis et libertatis amore Tyranni satellites populos universos decipere conabantur. Vidimus urbes Hispaniae nobilissimas exustas esse complures. Jam me dies, vox, latera def-

ficient, si omnia prorsus mala vobis enumerare velim.

XXII. Hoc in tempore cum ab optimatibus ad generalia regni commitia, Gadibus indicta, reipublicae administratio esset translata, e quibus generibus hominum ea comparata fuerint, vobis breviter exponam; non autem ut, quid effecerint illi, sed id quod de eis esset sperandum, intelligatis.

XXIII. Primum genus erat eorum et copiosissimum, qui rerum potiri volebant; honores, quos quieta republica desperabant, perturbata consequi se posse arbitrabantur. Hi imberbes tam lepidi ac nitidi, quam altaris thronique jurati inimici, non solum amare et amari, cantare et saltare, sed per litteras etiam spargere venena didicerunt. Horum opera illa orbis pars nobilior America pene interiit.

XXIV. Alterum genus erat eorum, licet exiguum, qui tyrannidem fugientes, mores institutaque majorum adamantes, sanctam religionem colentes patriae occisionem lugebant. Ex hac parte pudor pugna-

bat, illinc petulantia; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc irreligio; hinc constantia, illinc furor: denique aequitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus.

XXV. In hujusmodi vero certamine ac praelio, etiamsi hominum studia defficerent, Deus Optimus Maximus permitteret has praeclarissimas virtutes a tot et tantis vitiis superari? Hactenus de malis. Exposui enim vobis, Auditores, Pii et Ferdinandi profectionis effectum; nunc reversionis, quae plus admirationis habet, vobis breviter exponam.

XXVI. Divina sese in rebus omnibus ostendit providentia, cum post innumeros labores, et nobis maxima imminentia pericula laetissimus ille Hispaniae dies illuxerit, quo praeter omnium opinionem Pius et Ferdinandus sunt sociorum virtute in libertatem restituti. Ab eo autem tempore, quo Ferdinandum a suis scelerate abreptum,

vinctum Napoleo in Gallia tenebat, Hispani cum Britannis, ut supra dictum est, cum Siculis, cum Germanis, cum Septentrionalibus etiam Nationibus societatem iniere. Varia fuit armorum fortuna per sex annorum spatium, quoadusque omnino Napoleone cognito, a suis tandem clientibus undique derelicto, de eo religio, innocentia, justitia demum triumphavit.

XXVII. Pium et Ferdinandum, utriusque etenim aequa conditio, e captivitate redeuntes, velut e praelio spoliis onustos, triumphantes Europa vidit. Episcopi omnes ab exilio revocati, suis, nec mora, sunt sedibus restituti. Parentes suos liberos, vita cariores, viros suos uxores fideles, omnes denique sua omnia erepta recuperare incipiunt. Rerum ordo in Religionis negotio, in rebus etiam publicis, in civilibus, in politicis, in navalibus, in re militari constitutus. Civile bellum, quod huic florentissimo regno jam jam imminebat, extinctum. Scribendi libertas, quae plurima mala in Europam intulit, quam scribendi ars bona fecerit, frenata.

Copia rerum omnium, vilitas annonae, scientiae artesque liberales protectionem omnem praesentientes, urbium devastationem jam reparant. Sacrae aedes reaedificantur, mores institutaque majorum coluntur, Iani denique templi fores clauduntur, Minervae vero reserantur,

XXVIII. In bonis autem, quae a regia pietate nos sperare possumus, illud in primis optandum, ut Divi Ignatii institutum, cujus in aede pridie ipsius festum felicem Regis nostri reditum celebramus, suum in regnum imperiumque non recipere modo, sed et suscipere etiam velit: propterea quod hujus instituti viri litteratissimi, juvenibus et religione et litteris educandis omnino dediti, regni felicitatem non solum conservare, sed etiam augere posse videantur. Illi enim altaris et throni semper deffensores strenui, novatoribus ubique infensissimi hostes, a cuncta fere Europa exagitati, in septentrionali plaga recepti, animi culturam in illas regiones nostris etiam temporibus feliciter intulerunt.

XXIX. Sed ut unde est orsa, in eodem terminetur oratio, Napoleone devicto, vitia vincuntur omnia: illo relegato, scelerati exulant omnes: extincto, mala omnia extinguentur.

XXX. Congratulor itaque vobis, Rector Praeclarissime, Celsissime Praesul, Doctores Eruditissimi, Juvenes Studiosissimi, Caeterorum Ordinum Cives Nobilissimi, quod impietate devicta, religio servetur incolumis, quod omnium scelerum impunitati poena successerit, quod oppressioni libertas, aegestati abundantia, pax bello, timori securitas. Quamobrem immortales et maximas Jesu Christo, uni omnipotenti, omnes hoc in templo gratias agimus, majores etiam habemus: quod Pio et Ferdinando in libertatem restitutis, omnia nobis restituantur: quod salvis illis, incolumes nos esse debemus, fortuna enim nostra intime cum illis conjuncta est. Illud etiam vobis animadvertendum, memoriam divini hujus maximi beneficii in omnium ordinum consensu, gratiarum actione, et congratulatione esse

conservandam.

XXXI. Tu vero, Ferdinande noster, Piissime Rex et longe terrarum orbis Potentissime, Hispanae gentis deliciae, cujus nomen augustum semper fuit Hesperiae faustissimum, quos tibi absenti fidos invenisti; eorum officium remunerare justitiae tuae erit; imbecillis vero parcere, clementiae tuae. Academia autem nostra, suis semper Regibus obsequentissima, a Ferdinando Quinto erecta, et a Carolo Tertio aucta, a Te, Ferdinande noster, longe omnium post hominum memoriam dilectissimo Rege, et protectionem omnem, et perfectionem, et gloriam suam sperare non desinit.

DIXI.

	Errata	Sic Corrige.
Fol. 6 lin. 4.	*devixerat*	*devinxerat.*
Fol. 10 lin. 18.	*provinciaeque*	*provinciae.*